

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

MANE DISCUTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis sextâ Februarii 1710.

M. PHILIPPO BERNARDO DE BORDEGARAYE,

DOCTORE MEDICO,

PRÆSIDE.

An Prægnanti Saphenæ sectio à prudenti Medico imperata?

I.



SI in Prægnantium morbis adeò hæsitantes obmutuere olìm Medici, nè opus generationis interturbarent, non sinè magno fœtûs & fœtantis dispendio: Melioribus hisce temporibus Ars nostra omni laude celebranda, quæ usu & experientiâ, quasi manu auxiliatrici, tàm grave pondus ad fœlicem perducit faustamque metam. Quid mirum? Structura seù fabrica uteri probè dignoscitur: Mechanice illius partis luculentèr innotescit: Canalium, seù vasorum sanguiferorum diametri geometricè asseruntur: Pondus liquorum observatur: Sanguis ipse, quò fluit & refluit, digito monstratur; & in quo tandèm posita sit illius essentia, minimè revocatur in dubium. Sìc itaque Principis Philosophorum sphinx hodiè develatur: Nec de utero,

quicquam aliud exclamamus, quàm de cæteris organicis partibus, quibus instructa est compages Mulieris universa. Nec praxis refragari videtur eorum lucubrationibus. Audaces nec incerti, morbis Prægnantium venæ sectione potissimùm, alterantibus, purgantibus, emeticis aliquandò succurrunt, & medentur. Ista, praxis experientiâ fulta; ista, usus; ista deniquè, uteri Autopsia indicarunt, confirmarunt. Sed obstupete, & miremini; quanquàm ad solatium fœtantium nonnulla excogitavere eximia præsidia, adsunt tutiora; quæ parti afflictæ promptiora afferunt emolumenta, mechanices legibus non obsona; quæ quotidianus obfirmavit usus, si in morbis Mulierum utero gerentium Saphena cautè secetur, quæ morbi fomitem ità aggreditur; ità sublevat ægram; ut fœtum, à sanguine in vasis ægrè currente oppressum, tantoque sub onere fatiscentem, liberè, tutiùs, sinat elabi spatium detentionis, & jucundiùs.

II.

PRÆGNANTIS dura conditio! duræ, quas Hymeneus præscripsit, leges! Prolis avida Mulier, matris insignia persequitur: Venereos ruit in amplexus, nec votis deficit uterus: Ferax ille campus conceptionis futuræ primordia pollicetur; virilis seminis aura, necquicquàm ignara sortis, intùs perlustrando, hunc dulci afficit tepore: Fibris inebriantibus contrahitur uterus, tubæ eriguntur, & secundùm earum fimbrias, ad ovaria haud ingratum sternitur iter semini: Sed, quæ diceres ad voluptatem solùm apta nata esse; immeritas quandoquè luunt pœnas. Ovarii succussus, uteri dilatatio, subsequens coarctatio; partiumque generationi famulantium, si meliùs dixerim, convulsio; quam derepentè simptomata inferant? Mulieris nausea, vomitus, horror, Cardialgia, &c. lutulentèr demonstrabunt; fœlici cuncta hæc contingunt successu; patientis sæpius detrimento. Nec minùs parit incommodi, cùm jàm in molem assurrexerit uterus: Spermatica & hypogastrica vasa, hìnc atque hìnc sanguinem præcipiti cursu vehentia pro fœtûs alimento, majorem fœtanti noxam inferunt: Quorum diameter sanguineæ sustentandæ moli impar, systolem efficit segniorem: Quæ stagnatio? alterâ parte fœtus ampliora in dies expostulans incunabula; quot obices? misera Matrix, tanto sub pondere fatiscit, exitium brevi portentura, nisi derivatione prudens rerum Æstimator aliquomodò sublevet pondus onerosum.

III.

SINT revulsionis amatores, timidi naturæ in opere gementis ministri, qui circuitûs sanguinis legibus nimiùm addicti, quo extrahant vase, omnem indicationis paginam secum reputant adimplevisse. O malè feriati homines! Non in vasis majoribus quærenda est obstructio: est aliundè remora; in intricato scilicèt vasorum capillarium uteri dedalæo, quæ, motu sanguinis progressivo nimìs urgente, ità plethorâ distenduntur, ut tonum partium restituere penès non sit iteratam revulsionem: ut palàm sit, venâ sectâ superiore, augeri motum circuitûs;

sic nec causam obstructionis minui; cùm èx ampliori vase, in capillaria uteri à longo infarcta præcipiti cursu defertur sanguis. Tantæ-nè ambages, tantis solvuntur ambagibus? Non idem dijudicandum de derivatione: Decubitus liquidi, venæ mandantes, uteri situs, conspirant simùl ad partis afflictæ medelam. Saphenâ sectâ, paulatìm capillares evacuantur sub onere anhelantes, & viâ procliviori; quod nocivum excutiunt, & in prisco sensìm sine sensu restituuntur tono. Consule Hypocratem, fidem merebitur: In morbis subter diaphragma Saphenam seca. Video, times abortum; horreo quoque. Si ex apertione inconvenienti Saphenæ quædam Mulier aborta est; quid indè? Quas occidit venæ sectio èx brachio intempestiva, numera. Non liceat omnibus adire Corinthum; & nonnisi prudens Medicus, cum armis istis militet securiùs. Flexibilibus tubulis fluxilior erit sanguis; & subitò fœtum, liberiori aurâ vesci, & domicilio frui ampliori experta Mater; tædiosam partûs attinget horam alacriùs.

IV.

NON defectu sanguinis palàm est abortire fæminas: sed exundante purpureo latice, commercium intèr fœtum & matrem, disruptis vasis quibus annectitur, seù conjungitur placenta cum utero, tolli omninò, nèc ignorant Medici omnes. Qui singulis mensibus, tanquàm superfluus in non gravidis è masâ exonerabatur sanguis: tempore gestationis, usui nobiliori cedere, & in alimoniam fœtûs verti & incrementum, nemo inficias ibit. Sed heu, proh dolor! quàm inconsultò Mulieres nostrates, victu lauto, vitâ sedentariâ, & mille nocuis blanditiis, quod providæ satìs esset naturæ, augendo contaminant, & fœtum quasi in ulnis enecant quotidiè? Quàm derepentè corporis succi, tantâ ingluvie coinquinati, concrescunt, putrescuntque, pravam in partibus afflantes auram? Hìnc minima vascula ità distenduntur, fibræ crispantur, ut motui progressivo nec sufficiant, nec inservire possint ejus eventilationi; nec stupete quàm dira emergunt simptomata? febres continuæ, deliria, insultus astmatici, vomitus enormes. Putes, insontem esse uterum; erras, & gravitèr quidèm. Uteri tanta moles tempore graviditatis; tot & tanta omnis generis vasa, eaque tenuissima perreptant substantiam; ut, qui negat hìc non esse fomitem omnium malorum, quæ gravidas molestant Mulieres; gratìs neget. Hìnc uteri moles, hìnc omnia vasa turgida nimìs, illìnc sanguis lentescens; hæc omnia de fœtûs & matris exitio pronuntiant; nisi ad auxilium vocatus, non in revulsionibus repetitis hæreas anceps, quid prosis; sed aperiri Saphenam jubeas; expertus, hâc solâ viâ, tibi, & matri, & fœtui res esse fœlici cessuras omine.

V.

JAM usus & experientia hodiè simùl praxim hanc non dedignavere, quam Autopsia partium generationis à longo demonstravit & obfirmavit; sed, quæ timidis nimiùm Medicis, necnon famæ consulentibus, ut opinantur, haud arrisit hùc usquè: attamen fateantur nullo

alio eximio præſidio Virgines menſtruorum defectu laborantes curatas fuiſſe, licèt centies iterata fuerit venæ ſectio ſuperior; cùm morbi fomitem in illis aggrediatur derivatio, undè ſalus. Idem tentare nè recuſes in prægnante; cùm eædem partes obſtruantur, eademque ſit obſtructionis cauſa. Ut, à menſtruis Saphenâ ſectâ revocatis, non ſequitur ſanguinis profluvium, imò quid præſtat in illis derivatio, attendas: Capillarium vaſorum ora in utero & vaginâ hiantia, per quæ ſanguis menſtruus elabitur ſingulis menſibus, quaſi occluſa criſpatione quâdam fibrillarum, quibus contexuntur membranæ eorum, ob diſtentionem à plethorâ factam; relaxari, nec ampliùs fruſtrà hiare, ſed deponere pondus quo premebantur, & amicâ ſanguinis craſi reſtitutâ, Virgines vultu ſereno & ſuavis eſſe coloris experieris tandèm incredulus: Sìc ità ſe res habere in prægnante; tali auxilio ſcilicèt, capillaria quaſi anaſtomoſi non in utero, ſed in placentâ dehiſcentia, eandem ſervare mechanicam, idemque fœtui miniſtrari auxilium, non timeo aſſerere, nec ſequi abortionem. Sed quid opus hìc Phyſicâ? iſta malè ſonant apud plebeïos: Medicinam rident illi; cùm femellæ impudicæ experiuntur quotidiè, ſeù potiùs conqueruntur infidam eſſe ſectionem Saphenæ vèl iteratam, nec votis reſpondere: Quid tentaſtis, ſceleratæ? perdere nefandi veſtri pignus amoris, & excutere è domicilio antè tempus? nec profuit meritò; & libidini veſtræ hæc debebatur injuria nominis, ut in lucem prodiret inſons. Sìc uſu, sìc experientiâ quotidianâ, sìc tandèm expoſitis rationibus.

Ergò Prægnanti Saphenæ ſectio à prudenti Medico imperata.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Alexander le François.	*M. Salvator Cluſcard.*	*M. Renatus le Conte.*
M. Michaël Procope Couteaux.	*M. Claudius Bourdelin, Sereniſſimæ Burgundiæ Duciſſæ Medicus primarius, & Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.*	*M. Franciſcus Aſſorty, Facultatis Decanus.*
M. Joannes-Claudius-Adrianus Helvetius.	*M. Alexius Littre, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.*	*M. Germanus Preaux, Profeſſor Regius.*

Proponebat Pariſiis THOMAS-BERNARDUS BERTRAND, Pariſinus, Baccalaureus Medicus.
A. R. S. H. 1710.

Typis Viduæ Franciſci Muguet, Regis & Facult. Medicinæ Typographi.